Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31635
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Tu quoque sis mater regis ut etherei
Sponsa dicata deo. bis sex regnauerat annos.
Istoque monasterio est. sponsa dicata deo.
Tota sacrata polo. celsis ubi floruit actis
Reddidit atque animam. tota sacrata polo.
Virginis alma caro est tumulata bis octo nouasque
Nec putret in tumulo. virginis alma caro.
Xpe tui est opus quia uestis et ipsa sepulcri
Inuiolata nitet. Xpe tui est opus.
Ydros et ater abit. sacre prouestis honore.
Morbi diffugiunt. ydros et ater abit.
Zelus in hoste furit. quondam qui uicit euam.
Virgo triumphat ouans. zelus in hoste furit.
Aspice nupta deo. que sit tibi gloria terris.
Que maneat celis. aspice nupta deo.
Munera leta capis. festiuis fulgida tedis.
Ecce uenit sponsus. munera leta capis.
Et noua dulcisono modularis carmina plectro.
Sponsa ymno exultas. et noua dulcisono.
Nullus ab altithroni comitatu segregat agni.
Quam affectu tulerat nullus ab altithroni.

Vig(ilia) s(ancti) Iohannis bapt(iste). Inicium s(ancti) euangelii secundum Lucam.

FUIT in diebus Herodis regis Iudee sacerdos quidam nomine Zacharias de uice Abia. et uxor illi de filiabus Aaron et nomen eius Elizabeth. Nota est dignitas Aaron primi pontificis in lege de Abia uero paucis dicamus. Abia familiam de qua Zacharias ortus octaua contigit cum Dauid cultum domus dei ampliaret. ministeria sacerdocii in xx.iiii. sortibus diuidens. Apte itaque preco noui testamenti in uice sortis octaue nascitur. quia preconio noui testamenti propter sacramentum noue resurrectionis sicut per septem ueteris propter sabbatum sepe declaratur. Erant autem iusti ambo ante deum. incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus domini sine querela. Ante deum quippe uidet in corde et non fallitur iusti erant. sed apud homines obprobrium sustinebant quia lex steriles maledicit. Prius est mandatum deinde iustificatio. In mandatis domini incedimus. cum eis obedimus. Cum uero congrue iudicamus. iustificationes eius tenemus. Plena hec laudatio est que genus in maioribus. mores in equitate. officium in sacerdotio. factum in mandato. iudicium in iustificatione comprehendit. De hoc quod additur sine querela ait apostolus. prouidentes bona non tantum coram deo. sed etiam coram deo. sed etiam coram hominibus. Et ecclesiastes ne sis inquit tam multum iustus. quia plerumque iusticia durior hominum querelam prouocat. Que uero temperata est etiam inuidie querimoniam uitat. Et non erat illis filius eo quod esset Elizabeth sterilis et ambo processerunt in diebus suis. Diuinitus procuratum est ut de prouectis duobus fructu coniugii priuatis Iohannes nasceretur quatenus et donum dei gratius esset eis et ceteris miraculi stupor. Factum est autem cum sacerdocio fungeretur in ordine uicis sue ante deum secundum consuetudinem sacerdocii sorte exiit ut incensum poneret ingressus templum domini. et omnis multitudo erat populi orans foris hora incensi. Cum ex precepto Moysi uno sacerdote decedente unus succedere iubeatur tempore Dauid statutum est ut in eis s[...] ministrantes per octonos dies sabbato usque ad sabbatum tempore uicis sue singuli castimonie studerent. nec interea domum suam tangerent. Zacharias sorte exiit non noua sed prisca illa uidelicet quam successit in uice Abya cum primo ad pontificatum accederet. Hec sollempnitas decima die septimi mensis a pascali mense quem diem expiationis siue propiciationis uocant celebrabatur. quando solus pontifex intrabat in sancta tabernaculi cum sanguine. In quo significatur ille sacerdos qui impleta dispensatione carnis celi secreta subiit. ut propicium nobis faceret patrem et interpellaret pro peccatis eorum qui adhuc pre foribus orantes expectant et diligunt aduentum eius. Pulchre ergo ea die descensio eius per angelum nuntiatur qua eius per legem ascensio figurabatur. quia qui descendit ipse est qui ascendit. Beda in tractatu de electione Mathie apostoli. Summus sacerdos sorte queri uidebatur ut uerum sacerdotem querendum fuisse figuraretur donec ueniret qui per proprium sanguinem intrauit semel in sancta eterna redemptione inuenta. Cuius hostia tempore pasce immolata. sed die pentecosten spiritu sancto in igne apparente consummata est. Veteris enim consuetudinis erat acceptas deo uictimas. celesti igne consumi. Donec enim ueritas compleretur. figuram licuit exerceri. Vnde est quod Mathias qui ante pentecosten ordinatur